

Dissertatio medico-mechanica inauguralis. De variolis. / Quam ... ex auctoritate ... Francisci Fabricii ... pro gradu doctoratus ... eruditorum examini submittit Joannes Barham.

Contributors

Barham, Joannes.
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joh. Arn. Langerak, 1724.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jfn4rkfa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
MEDICO-MECHANICA
INAUGURALIS.

DE
VARIOLIS.

QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. FRANCISCI FABRICII,
S. S. THEOL. DOCT. HUIUSQUE, NEC NON
ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARIJ, UT ET EC-
CLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examine submittit.

JOANNES BARHAM, *Anglo-Britannus.*

Ad diem 7. Sept. 1724. Horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. ARN. LANGERAK. 1724.

DISSERTATIO
MEDICO-MECHANICA
INAUGURALIS.

DE
VARIOLIS.

Q U A M
ANNUNTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. FRANCISCI FABRICII,
S. S. THEOL. DOCT. HUIUSQUE, NEC NON
ORATORIE SACRAE, IN ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARI, UT ET EC-
CLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON
Alumnus SENATUS ACADEMICI Consensus,
et Nobilissimi FACULTATIS MEDICAE Decretis,
PRO GRADU DOCTORATUS
conferendis in Medicis et Honoribus de Fidei
hoc ac legitime concedendis,
Ex auctoritate Facultatis submittit.
IOANNES BARHAM, Magister-Præceptor
Al. chem. 7. Sep. 1774. Hanc Facultatem

LEONARDI BATHORUM,
Apud JOH. ANN. LANGERUM, 1774.

VIRO SPECTATISSIMO,

RICHARDO BARHAM,

GENEROSO : PATRI SUO CHARISSIMO,
INDULGENTISSIMO., SUMMA
CUM REVERENTIA , ET FILIALI
AMORE, SEMPER HONORANDO.

NEC NON

VIRO REVERENDISSIMO,

JOANNI STUDLEY,

AVUNCULO SUO OPTIMO, PIETA-
TE ET ERUDITIONE EXIMIO , OB
PLURIMA IN ME COLLATA BENE-
FICIA , NUNQUAM SATIS COLEN-
DO.

*Hanc Dissertationem,
in obsequii, gratitudinis
tesseram,*

D. D. que

JOANNES BARHAM

VIRO SPECTATISSIMO,

RICHARDO BARRHAM,

GENERO : PATRI SUO CHARISSIMO, INDULGENTISSIMO, SUMMA
CUM REVERENTIA, ET FILIALI
AMORE, SEMPER HONORANDO.

NEC NON

VIRO REVERENDISSIMO,

JOANNI STUDLEY,

AVUNCULO SUO OPTIMO, PIETATE ET ERUDITIONE EXIMO, OB
PLURIMA IN ME COLLATA BENEFICIA, NUNQUAM SATIS COLENDO.

Hanc Dissertationem,
in obsequium gratitudinis
refferam,

D. D. quæ

JOANNES BARRHAM.



DISSERTATIO MEDICO-MECHANICA

INAUGURALIS

DE

VARIOLIS,

I.

Requentissimæ in *Europâ* hodiè sunt *Variolæ* ; undè verò earum ortus sit , nondum est satis clarum : in *Asiâ* quidem , ab *Arabibus* † fuerunt priùs descriptæ , ac indè per *Commercium* ‡ his *Regionibus* delatæ ; ubi omni anni tempore , sed præcipuè Vere & Autumno ingravescent.

A 3

A va-

† Le Clerc Hist. de la Medicine, p. 776.

Et Friend de Purgantibus, p. 77.

‡ Phyl. Transact. vol. III. cap. V. §. XXXII.

DISSERTATIO MEDICO-MECHANICA

II.

A *varorum* similitudine fortassè [qui sunt *Pustulæ* parvæ, post *Bacchanalia* in facie erumpentes.] *Variolæ* vocantur; verùm ut, unusquisque ideam magis adæquatam habeat, earum Definitionem dabo sequentem.

III.

Variolæ sunt Globuli sanguinis rubri, qui à certo quodam *Stimulo*, in Arteriarum finibus, per totum ferè Corpus, stagnare & suppurare facti sunt.

IV.

Quomodo autem talia *Phænomena* in Corpore Humano oriuntur, operam dabo, paucis demonstrare verbis; *Stimuli* communicationem priùs enarrando veram. Ejus *Naturam* enim, nemini credo, adhuc esse cognitam; *Mechanicis* tamen *Legibus*, in *Solida & Fluida* Hominis agit, ut qui semel eo fiat inquinatus, nunquam postea, [si ejusmodi est *Naturæ*] infici observatur: ac ceteræ Animalium species, quanquam eodem Aere spirantes, vitam agunt illæsam: à Figurâ Canalium, & Humorum Cohæsione in Genere Humano, diversâ ab aliis Animalibus fortè pendet; quòd Illi hoc *Miasmate* tantùm afficiuntur.

V.

Contagium ab Homine priùs eodem laborante semper communicatur; quod per ejus Poros Exhalantes, † in Aerem communem protruditur, & ibi se undique

† Sanctorius: Sect. I. Aph. VI.

que diffundit: si aliquis horum Effluviorum Atmosphæ-
ras intrat, & per Nares aut Os forsan, solummodò
partem Grani inspirat, atque per Pulmones ingreditur
Sanguinem, vel externè per Vasa Absorbentia Cutis;
sed maximè quidem *Salivæ* † se commiscens, in Ven-
triculum deglutitur; illinc ad Intestina descendit, & ex
his per Vasa Lactea, Venas transit: Exindè cum sangui-
ne & reliquis humoribus per vasa omnium serierum
fortè percurrit; & pro *Quantitate* vel *Qualitate* ‡
Materiæ contagiosæ acceptâ, ut & pro ratione Tempe-
rieri, Ætatis, Sexus, Regionis, Anni temporis, & Regi-
minis, ejus Effecta variantur: quæ per singulos hujus
Morbi Decursus, sunt semper animadvertenda.

VI.

Primus *Decursus* sc. *Contagiosus* qui 3 vel 4 dies
durat, ita incipit.

Hic *Stimulus* vasorum fibras vellicat, & contrahit,
eorum diametros minuit, unde citiùs sanguinem ad cor
pellunt, hinc sæpiùs ad Cerebrum transfertur, sic spi-
rituum secretio major, Cordis igitur velocior contra-
ctio.

Deiñ *Symptomata*, quæ omnibus Febris Acutis
sunt communia, statim succedunt, quæ breviter expli-
care lubet.

Imprimis *Horror* & *Rigor* invadunt; quando *Sti-
mulus*

† Phyl. Transact. Vol. III. Cap. V. §. XXXIV.

‡ Sydenhamus. Sect. III. Cap. II. Distinctas vel Confluentes vocat.

IV. — VI. Anamolæ.

— iterum V. — VI. —

Et Friend. Epist. II. de quibusdam variolar. generibus.

4 DISSERTATIO MEDICO-MECHANICA

mulus pervenit ad Vasa Lactea & Capillaria , adeò illa contrahit & arctat , ut Circulationem liberam impediat : & ibi sanguinis & spiritûs influxus in musculos fit irregularis.

Febris acuta continua , à majori resistentiâ vasorum capillarium , Cor celerius se contrahit : & si ascendit, stat, declinat, per æqualia tempora, vocatur Acuta Continua.

Pulsus celer & magnus , à crebriore & fortiore contractione Cordis fit, quæ pendet à reciproco influxu sanguinis, & spirituum in Cerebrum & Cor.

Calor ingens , ortum ducit à majori copiâ ignis, ob majorem attritionem sanguinis ad latera vasorum, qui erit major vel minor , quò solidior est sanguis , & velocior motus, & majori vi ad vasa impingitur.

Urina turbida & cruda , à violento motu , & attritione oleorum, salium, terræ, & aquæ, in humoribus, quæ intimè & tenacitèr permiscuntur.

Capitis & Lumborum Dolor , quoniam Capillaria vasa incipiunt obstrui , major quantitas sanguinis in vasa Cerebri , & Lumborum , à minore suâ resistentiâ, confluit , quæ tunicas nervosas plus distendit , & atterit, atque lateralia vasa distrahit, ita dolorem inferunt.

Dolor sub scrobiculo Cordis , quamdiu *Materia Contagiosa* in superiore parte ventriculi nervosa hæret, tamdiu manebit.

Vomitus & Nausea , quia *Stimulus* ventriculi fibras irritat , & facit , ab inordinato spirituum motu , Spasmos in Æsophago, Ventriculo, Diaphragmate & Musculis abdominalibus, quibus contractis, ventriculus comprimitur, & magna vi, omnia quæ inhærent, expelluntur : sed si minor est vellicatio, nausea solum excitatur.

Appetitus prostratio, ab acrimoniâ *venenatâ* ventriculûm continuè movente, & aliquando à pustulis ibi erumpentibus, efficitur.

Anxietas, à duplici causâ producitur; vel quia sanguis adedò inflammatus, & densus redditur, ut transire vasa minima pulmonum ineptus sit: & quò plus sanguis ibi stagnat, eò minus Aër potest ingredi vesiculas aëreas & tunc ob magnam illam compressionem, non possunt satis explicari; unde *Anhelatio*: & si sanguinis egressum ex Corde dextro impedit, vel si diu stagnans Polypos producit, & indè *Cordis Palpitatio*.

Anxietas altera, cum Sanguis nimis inspissatus, ut fines venarum portarum perfluere nequeat, sed *stagnans*, & non per venas redeuns, sanguinis fluxum Cæliacarum & Mesentericarum Canaliûm impedit; vasa distendit, & ventriculûm comprimit, & quia magis sensilis est, (ob plures nervos) quam reliqua viscera Abdominis *Ægritudo* & *Inquietudo* sentiuntur.

Facies rubra & Oculorum splendor, à stagnatione sanguinis in vasis pulmonum, quæ sanguinem per Venas jugulares redire impedit: & quia semper premitur à tergo, vasa magis distenduntur; & Orificia vasculorum lymphaticorum in oculis, *Sanguinem rubrum* accipiunt, cujus globuli diametrus, major est quam lymphatica Arteria, quare non potest pertransire, sed magis accumulatur, & à valido impulsu Tunicasvasis distendente, fit *splendens*.

Lingua sicca & alba, à nimio motu, sanguis ita inspissatur, quòd nullus humor per Glandulas Linguae fecernatur.

Sitis, quia liquidissima pars sanguinis subducta est,
B olea

6 DISSERTATIO MEDICO-MECHANICA.

olea & sales ita *acria* redduntur , ut organa gustationis vellicent.

Raucedo, à siccitate membranæ internæ Laringis, quando glandulæ nihil secernunt; vel à pustularum Eruptione obstruuntur : aut à nimia liquidorum Crassitudine, vix aliquid per Glandulas exprimitur, has partes lubricare.

Tussis fit à stimulo aliquo, internam tunicam Asperæ Arteriæ vellicante; aut ab ejus Inflammatione : vel aliter, quia sanguis in vasculis pulmonum stagnat, & vasa adeò distendit, ut vesiculas bronchiales Aëreas comprimat, unde ad se invicem affricantur.

Narium Pruritus & sensus punctorius per totum Corpus, quum tunicæ vasculorum ita distensæ sunt, quòd ruptioni propinquent in fibris minimis, à Sanguine qui transire nequeat.

Delirium, quando medullosa pars Cerebri adeò comprimitur, & obstruitur, ut liberum fluxum spirituum coerceat.

Phrenitis, est semper ab inflammatione Meningum Cerebri.

Pervigilium, dum una pars Cerebri aperta tenetur, Spiritus ad organa sensuum nimis determinantur.

Somnolentia & Stupor, quia sanguis non potest per Cerebrum circulare, sed à Stagnatione comprimit Sensorium Commune, seu nervulorum initia, unde nulli spiritus secerni queant, pro Organis Sensuum, & Musculis voluntariis.

Infantibus Insultus Epileptici, quoniam per unam partem cerebri, majori vi & rapiditate, in quosdam musculos premuntur spiritus, quam in alios : qui faciliùs

litis Infanti accidit, cujus corpus est ferè totum nervo-
sum; cum hæc *Materies contagiosa* fibras vasculorum
irritat; Febrim excitat; & ita Humores vasa distrahentes,
tales Convulsiones produciunt; & sæpe designat variolas
paucis horis erumpere. †

VII.

Secundus hujus morbi *Decursus* qui est *Inflammato-
rius*; peragitur hac ratione.

A majori Sanguinis Velocitate, (§. VI.) ejus Impetus
in vasa, vasorum Reactio, & Attritio globulorum † ad
se mutuò augebuntur, pars subtilissima, per vasa latera-
lia exprimitur, crassa per vasa capillaria propelli non
queat, sed vasa distendit, & vasculorum lateralium ori-
ficia dilatans, illam accipiunt.

Hinc apparent, plerumque circa 3 vel 4 diem, [si
diutius protrahuntur, ab aliquo Dolore * violento im-
pediuntur:] Puncta parva rubra, morsus pulicis refe-
rentia, nunc *Erysipelatis*, nunc *morbilorum* formâ ††;
primò in facie, pectore, & dein per totum †† Corpus:
Symptomata paulatim minuuntur, *sudores* verò, & ali-
quando *Salivatio* in Adultis, eo tempore incipiunt; quæ
usque ad tempus Suppurationis durant, interdum quo-
que in Infantibus, *Diarrhæa* est comes: Interim Ma-
gnitudine, & numero augentur; Cutim magis disten-
dunt,

B. 2

† Sydenh. Sect. III. Cap. II.

† Leuwenhoekius, Vol. IV. Epist. 128. dicit, Globulum sangui-
nis ex 6 Globulis ferosis constare &c.

* Sydenh. Sect. III. Cap. II.

†† ibidem.

†† Bonetus in Sepulchreto Anat. Lib. IV. Sect. 1. observat. LX.

dunt, dolorem & calorem faciunt, rubescunt, inflammantque; *Interstitias* pustularum plus premunt, Sanguinem vasculis obstruunt, quare rubent, dolent, ita Circulationem, & Perspirationem impediunt: & sæpe Humores ad *Interiora* repellunt, ac Febrim, Anginam, Hemoptoem, Mictum Cruoris, Diarrhæam, aut Mortem producunt; nisi *Salivatio*, Capitis, manuumve *Tumor*, oritur: sin Humores non retroferuntur, circiter 8 diem tot faciunt *Abscessus*, quot fuerunt Puncta rubra.

VIII.

Tertius *Decursus* est *Suppuratorius*, qui intra 4 dies, ab 8 die perficitur.

Arteriis multis Crasso Sanguine obturatis, (§. VI. VII.) Liquidior per venas apertas, citius ad Cor redibit; majori vi, impingitur in Globulos stagnantes, ita à tergo semper premens, ulterius protruditur, vascula magis extendit, vasa tenerrima atterit, dolorem & calorem auget, Aquæ & Olei subtilior pars exhalat, Sales liquorum orbat, Vasa erodunt, & rumpunt, Humores effundunt, & partes vasorum simul se miscent.

Hoc modo, *Pustulae* à rubro Colore in subalbidum mutantur, albescunt, & magis asperæ apparent, & prò maturationis ratione Flavæ, & tunc rumpunt, & Succum luteum (*Pus* dictum) fundunt, per Cutim & Membranam Cellulosam; quod si venis absorptum est, novam Febrim, *Secundariam* nominatam, facit, & si ad Cerebrum vehitur, tunc Delirium, Phrenitidem, si ad Fauces Anginam, ad Pulmones Peripneumoniam, ad Intestina Dysenteriam &c. inducet. quando autem in aliquâ Corporis parte diu stagnat magis *acre* fit, (ob liqui-

quidissimi dissipationem), & ad Os usque aliquando exedit: à nimio quoque *Fluidorum* Motu, eorum olea & sales tam acria & alcalina sæpe redduntur, ut vasa destruant.

IX.

Pauca hîc, de verâ hujus Morbi *Crise* adjicere liceat; quamvis Auctoribus *Variæ* statuuntur, sc: circa 4 aut 5 diem per *Pustulas* (§ VII.)

Et per *Sudores* & *Salivationem* in Adultis, quia Sanguinis liquidissima pars, à violento motu, per Corporis Poros exprimitur: & quando Humores adeò spissati sunt, quòd per Glandulas Miliare propelli nequeant tunc exeunt *Salivatione*, si Intestina sunt satis fortia, ut impedian eorum Egressum deorsum.

Atque per *Diarrhæam* in Infantibus, quæ à Laxitate fibrarum totius Corporis, sed præcipuè Intestinorum tunicarum & à vi vitæ minùs validâ oritur.

Per *Crisin* autem intelligendum volo, Ipsum *Momentum*, in quo Morbus in Sanitatem, Mortem, vel alium Morbum, mutatur: quæ semper fit Actione Vitæ Superstitis: Immutatione spontanea materiæ morbida: vel Medicamentis. quæ sepiissimè circa 8 aut 11 diem† accidit. quando Actio Vitæ est satis valida, ut possit foras è corpore *Materiam peregrinam* expellere; vel mutare ejus Molem, Figuram, Cohæsionem, Mobilitatem & Inertiam, ut Corpus non lædat; aliquando per propriam Indolem sponte mutatur; ac denique per Medicamenta quatenus aliquid addunt, quando Natura deficit;

B 3

&

† Sydenh. Sect. III. Cap. II.

& quando nimis fortis est, impedimenta potest tollere;
& sic corpus fervare.

X.

Ultimus tandem *Decursus*, est *Exsiccatio* Pustularum.

Materia (VI. VII. VIII. §) extra Corpus nunc expulsa, non amplius vasorum fibras vellicat, nec Cordis contractioni resistit, unde liberior motus Fluidorum, & ejus Velocitatis indices declinatio, donec *Æquilibrium* inter Solida & Fluida iterum redit.

Sic *Tumores* ab *Inflammatione* & *Suppuratione* recedunt, circa undecimum diem pure concrefcente exarescunt, & in arida tubercula mutantur; die decimo quarto vel decimo quinto desquamantur, & *Foveis* succeduntur.

XI.

His perpensis, ad hujus morbi *Prefagium* procedo.

Prognoses Salutares sunt.

Si status *Contagii* est mitis; notat *Inflammationem* non fieri magnam.

Si *Eruptio* est tarda; tunc portendit minùs moveri humores.

Si à *Capite* longè distant, tamdiu *Cerebrum* minùs læditur.

Si *paucæ*, magis *distantes*, *majores*, *candidiores*, & magis *Flavæ*, indicant magnam copiam *Contagii* non esse in corpore, neque esse valdè malignam, quare minùs confluent, & citiùs abibunt.

Si circa tempus *Abscessus* Interstitiæ Pustularum magis Inflammantur; denunciant *Circulationem* esse satis for-

fortem, & vim vitæ sufficere, pustularum *suppurationem* perficere.

Si partes *Internæ* nullis obsidentur Pustulis, liberior erit humorum *Circulatio*, & nulla *suppuratio* visceribus minitatur.

XII.

Prognoses Lethales Sequuntur; quæ omnibus præcedentibus sunt contrariæ, & præterea *Hæc*.

Quando *Hyeme* citò incipiunt; quoniam *Æstate* præterita, Corpora sunt magis exsucca, & Humores magis Alcalini, redduntur.

Quando Corporis fibræ sunt *rigidæ*. & *siccæ*: quoniam fibræ non facile cedunt, & sanguis magis *densus* est, quare non possit adeò facile dividi nec *Eruptio* benè succedere.

Quando Tumor & rubedo faciei *Subitò evanuit*, & *non redit*, designat motum humorum esse adeò debilem ut non possit fieri bona *Crisis*.

Quando sudor suppressus est, & *Anxietas*, *Phrenitis* oritur; quoniam materia ad Pulmones, & Cerebrum stagnat, & vasa comprimit.

Quando die undecimo *Salivatio* sistitur absque tumore faciei, vel manuum; vis vitæ à morbo superatur.

Quando Materia nimis *viscida*, & *glutinosa*, quòd non possit expui; semper viscera opprimit, ut sanguis à magno regressu humorum, nequeat liberè per Pulmones & Cerebrum fluere.

Quando Lingua *sicca*, *nigraque*: quoniam humor dissipatus est, & Materia crassa in linguæ ductibus stagnans, ibi *Gangrænam* facit: & sæpe tunc humores non sunt permeabiles Cerebro.

Quan-

Quando Vox *Clangosa* & Respiratio *difficillima*; quoniam Fauces & Pulmones, multis Pustulis obruuntur.

Quando Urina *cruenta* & *sæpe* Micturitio; quoniam Materia quæ per corporis poros expelli debet, nunc retroprimitur, quæ Circulationem auget, & Vasa Renum distendit, donec Sanguinem extrudit: & si Humores sunt tam *acres*, ut Vias urinarias semper irritant, Urinam exprimere *jugiter* conantur: sin à stagnatione humorum vasa nimis angustantur, quòd Olea & Sales transire nequeant, tum *Limpida* erit Urina.

Quando Pustulæ *pallidæ* aut *fuscae* sunt: quoniam Circulatio ibi impeditur.

Quando Maculæ purpureæ Intervalla Pustularum apparent; *Gangrænam* denotant.

XIII.

CURATIO.

Curandi Methodus solummodò nunc restat; quæ secundum singulos hujus Morbi *Decursus*, instituenda est; & *Indicationes*, quæ hoc primo *Decursu* dirigunt, (§.VI.) sunt tantùm *duæ*.

Prima est, ut hic *Stimulus* è Corpore expellatur.

Secunda, ut corrigatur.

Stimulus auferendus per *Antidotum*† si cognitum est, quod in primo hoc *Decursu*, semper est exhibendum.

Corrigitur Methodo Universali, quæ in omnibus Morbis

† Vide D. Boerhaave. Aph. § 1392.

Morbis Inflammatoriis comperta est valere ; & in hoc, summopere *Inflammationem*, & *Suppurationem* prævenire ; Sanguinem esse *Inflammatum*, Nemo negabit, qui illum vidit post 3 aut 4 dies ex Venâ eductum ; qui instar *Pleuritici* apparet, qui ita densatur à *Stimulo* Humorum Motum augente ; & non ab ullâ *Cocochymia*, aut *Modo coagulante*, ut ex præcedentibus facile intelligatur.

Primò convenit *Sanguinis Missio* : si *Plethora* adest, seu *vis vitæ* nimis fortis est ; & nullo non die, si *Respiratio difficillima*, & *Phrenitis* Ægrum vexant : sed quò citiùs, eò meliùs ; quia *Obstructio* erit minor, & *Revulsio* Facilior ; & Fortè pars *Contagiosæ Materiæ* cum Sanguine tunc exhibit.

Emeticum proximo loco est exhibendum : si aliqua *Nausea* in ventriculo sentitur ; quoniam *Venenum* ibi hærens, fortasse vomitu potest ex ore rejici ; & ita minor copia Sanguinem ingreditur.

Clysmata Emollientia injicienda sunt, sc. ex Aquâ, vel Sero Lactis, aut Herbis Emollientibus, Malvâ, Althæâ, Verbasco & Similibus ; his addatur Nitrum paucâ copiâ, quod si vasis Intestinorum absorptum est Sanguinem diluet ac resolveth ; Talia sæpe repetita, viro jam in Intestina delapso, ulterius derivabunt, & foras expellent.

Fotus quoque Externè admoveantur ; Ex Aquâ solâ ; vel in quâ Herbæ Emollientes sunt decoctæ, ut Malva, Taraxacon, Parietaria, Mercurialis &c. cum Farinâ Lini, & Hordeo ; quæ applicari debent, pannis his imbutis,

tis, ad omnia Vasa majora Corporis : sc. Collo, Axillis, Manibus, Inguinibus, Cruribus, Pedibusque; hæc Vasa rigida & Cutim siccam laxant, ut melius perspirent, & Sanguinem *inflammatum*, *crassum*, ingredientia, diluant.

Eadem Internè per Nares & Os formâ Vaporis adhibeantur.

Potus præscribatur, ex Decoctis tenuibus Hordei, Avenæ, cum Herbis Emollientibus, & Refrigerantibus; aliquando addatur Nitrosa, & Subacida; quæ affatim haustæ, Sanguinem diluunt, & Fluorem ejus conservant. & fortasse *Acetum* dilutum ad Gustum, optimum esset Remedium; observatur enim omnes qui illum conficiunt, semper à *Contagio* tutantur, sed an quia est *Acidum*? ita attrahit *Stimulum*, qui forsan est *Alcalinus*, ut Corpus tertium *Neutrum* reddat, & sic Hominem lædere ineptus fiat; in medio relinquam.

Viæ tenuis Farinosus, cum Fructibus horæis Sumatur; abstineat Æger omninò ab *Carnium Esu*, & omnia quæ subito *alcalescunt*, aut quæ Sanguinis *motum* nimis augent.

Aër frigidiusculus sit; quando *Calidus* est, vasa laxat, & Humores magis dissipat: & si nimis *Frigidus*, tum Fibras contrahit, & pustularum *Eruptionem* impedit; quare Fenestræ, & Lecti Cortinæ alternatim aperiuntur, & claudantur, donec *Aër* ritè temperatus est.

Corpus benè tegatur; & omne *Frigus* à Manibus & Pedibus prohibeatur; neque *Stragulis* oppressum sit, ne nimis caleat; quia Calor iterum à Stragulis *reflectitur*, & Materies perspirabilis rursus in Corpus *absorberi* poterit;

terit; è lecto Ægrum abstinere jubet SYDENHAMUS† ad Sextum diem post Invasionem.

XIV.

Indicatio in Secundo Decursu (§. VII.) est: ut præsens *Inflammati*o in bonam *Suppurationem* ducatur; in quâ totius Curationis Cardo vertitur: In primo *Cursu* ita temperari *Inflammati*o debet, ne *Cerebro* & *Pulmone* hoc tempore fiat *Suppuratio*. ad hunc Scopum *Sequentia* sunt sollicitè moderanda.

Regimen debet esse *Frigidiusculum*; *Contrarium*,‡ quomodo nocet facile concipitur, nisi, ob *Tenacitatem* Humorum, vel *Circulationem debiliorem*, Pustulæ nolint *erumpere*, neque benè *suppurare*, tum da Expellentia: & quando Pustulæ à *Frigore* intropressæ sunt, tum jure optimo concedantur *Cardiaca*, ut denuò erumpant.

Medicamenta Antiphlogistica, Aperientia & Diluentia, assiduè magnâ Copiâ ingesta: qualia sunt, Radices Oxalidis, Graminis; Cerasa acida, Ribesia; Succi Aurantii, Limonium; Sal Prunellæ, & omnia ferè *Acida*; quæ nostris Humoribus *Alcalinis* miscentes, Olea & Sales *Composita blanda* reddunt. Ex. gr.

℞. Rad. Oxalid.

Gramin. ā ʒj.

Glycyrrh. ʒʒ.

Passul. sol. exacinat. ʒj.

Coq. in Aq. Hord. ℥ij. ad ʒxx. Col.

adde Sal. prunell. ʒj.

Syr. Samb. ʒj.

C 2

Bibat

† Sect. III. Cap. II.

‡ Vide Morton. de Variolis, Cap. VII, VIII, IX, X.

Bibat \bar{z} ij. vel iij. omni horâ. Hæc & Similia *Sudorem* suppleant, & *Salivationem* promovent: atque *Putredini* valdè resistunt.

Pediluvia bis de die sunt repetenda: partes enim laxant; & ita à minore resistantia, Sanguis & reliqui Humores simul cum *Materie variolosâ*, in has partes *fluunt*; qui Cerebrum & Pulmones multùm levant.

Epispastica etiam Nuchæ & ad Cava Pedum & Poplitum applicari debent; quæ partes *stimulant*, & Humores, quando *nimis lentè* moventur, excitant.

Opiata contra Anxietates Vespertinas sunt utenda; quæ à nimio *impetu* Sanguinis, & sæpe à medicamentorum calidorum *Usu* oriuntur: sed Hæc Spiritus domant, & omnes Functiones Animales.

Quum *Saliva* adedò *viscida*, ut expectorari nequeat; tum *Gargarismata* Diluentia & Stimulantia, sunt usurpanda; „ & si *Urina* suppressa est †, [Diureticis frustra exhibitis] Æger è Lecto eximatur, & aliquantulum obambulet, & Urinam satis facile reddet.

Et ne *Diarrhæa*, quæ Infantes comitatur, ubi *Variolæ confluunt* ‡, *cohibeatur*, cavendum est.

XV.

Tertius *Decursus* (§ VIII.) hanc habet *Indicationem*; quia Pustulæ *Suppuratæ* sunt, ut *Pus* ad *Exteriora* feratur, quod totam Cutim laxando fomentis tepidis fit; qualia in prioribus *Decursibus* descripsi, sed nunc majori quantitate omnia sunt applicanda, totum Corpus (Capite excepto) in *Balneo* tali circumtegatur.

Victus

† Sydenh. Sect. III. Cap. II.

‡ Idem.

Victus ex tenui jure Carnis cum *Sale* & *Acido* sic: Vinum Hispanicum, vel Cardiacum aliquod subindè propinetur, ut *Suppuratio* benè succedat. (reliqua ut *Supra*.)

Sin His omnibus incassum tentatis, & *Pus* Venis absorbetur, aliam *Febrim* excitat, novam quandoque *Inflammationem*, & *Suppurationem*, quæ circa *Dies Criticos*, Respiratione Anhelosa, Inquietudine, Jactatione & Phrenitide se prodit: quoniam *Pus* in Vasa *recurrens* eorum Fibras irritat, & ita *Circulationem* auget; ac si talis Copia influit, ut Vasa ultra suum *Tonum* distendit; & sic non Contractilia reddit, ibi *Stagnabit*: & ni *Venæ Sectione* & *Catharsis* evacuetur, actum erit de *Egrotō*. „ Peracta jam [*inquit* EG. MEAD,†] „ est omnis quæ per Cutem fieri potest morbidæ materiæ propulsio; per alias igitur vias ducendum est, „ quia periculum minatur noxius humor. cessant ab officio nunc *Salivæ canales*, quique à primis ferè morbi diebus magna copia per has fluxit, viscidus jam hæret, & vix expuitur liquor. Urinæ Excretio si fortè fuit per aliquot dies larga & benigna, sæpiùs tamen illa hoc tempore cum difficultate & solito parcius redditur. Restant igitur expurgandæ *Intestinorum Glandulæ*, quæ eo sunt corruptis humoribus è sanguine derivandis accommodatiores, quo Naturâ crassiorem lentorem expellunt. „ (CL. FREIND ‡ quoque „ *testatur*), mihi sæpiùs usu venit, ut in hoc *Variolarum* statu, ubi Pustulis exarescentibus *Febris* nihilo

C 3.

„ fecius

† In Epistolâ, Freind Commentariis in Hipp. Epidem., annexâ.

‡ Commentar. VII. Histor. I. ad Hipp. Epidem.

„ fecius invaluerit , ad purgantia confugerem. Quæ
 „ ita periculo vacare , ita commodè adhiberi poffe ex-
 „ pertus fum , ut multorum vitas ab hac maximè me-
 „ medendi viâ confervatas effe haud absurdè dixerim.
 & longè ante Illos , fuit SYDENHAMI. † praxis quo-
 tidiana , in hac Febre putridâ Secundariâ lenibus pur-
 gantibus uti.

XVI.

Ultimus hujus Morbi Decurfus (§. X.) indicat ;
 quòd *Vafa vacua* Corporis repleantur , & *rupta* con-
 crefcant.

Quæ confiftit in *Viétu proprio* , paucâ copâi femel
 fumpto , fed sæpe repetito ; ne *Vacula* nimis *onèrat*.
 V. gr. ex Iufculis in quibus Pruna funt decoéta , inter-
 dum etiam Carnem Pullorum , Vitulinam edat.

Potus ex Tea , Vino Meraco.

Venæ feétio poteft celebrari circa 21 diem , fi mor-
 bus fuit vehemens , & funt Indicia *Inflammatoria* , at-
 que *Acrimonia* in Sanguine.

Purgatio lenis , 3 vel 4 dies alternos danda eft , do-
 nec omne *Fæculentum* & *Noxium* , ex Inteftinis eva-
 cuabitur.

Quotidie è lecto furgat *Æger* ; & in Cubiculo fe-
 deat , aut paulisper ambulet.

Tumores fi ad malorum cumulum accidunt , Empla-
 ftris communibus tegantur , ut citiùs rumpantur.

Pulchritudo Faciei fimul , plurimùm confervetur ; fi
 illinatur oleo amygdalarum dulci , Spermate Cæti , Cre-
 more

† De Febre putridâ Variolis Confluent. Superveniente. pag. 593

more Lactis &c. quoniam *Crustæ* faciliùs decident, & non tam profundè erodent, si ab Aëre nudo *Foveæ* obtegantur : & cùm Fines Vasculorum minimorum emolliuntur, liberiùs fluet *Succus Nutritius* per *Capillaria* hæc, & ita *Ulcuscula* implebuntur.

F I N I S.

CORALLARIA.

I.

Contagii Variolosi Communicatio, est semper ex Homine antea inquinato.

II.

Quod nullo certo Antidoto extra Corpus expelli potest.

III.

Neque sine Inflammatione, & Suppuratione eliminandum est.

IV.

In Febre Secundariâ, sæpissimè prodest Pur-gatio.

ANNEXA.

I.

Variolarum Inoculatio non est semper nociva.

II.

*Mitiores plerumque sunt quam Communes ; &
à quâ interit fortè Nemo.*

III.

Nullos infici postea observatur.

IV.

*Satis tuta igitur creditur hæc Transplantandi
Methodus.*